

rum; non poterant autem Angeli illuminari per cognitionem discursivam; ergo.

XI. Secunda ergo pars probatur, quia per illas species non solum repræsentantur veritates immediate in se, sed etiam connexio unius veritatis cum alia, ratione cujus una veritas est illuminativa alterius; nam hoc etiam species Angelorum repræsentant, ideoque licet formaliter non discurrant, quia propter perfectissimum modum operandi subjecti, non possunt dividere conceptus, tamen ex parte objecti discursum cognoscunt, et connexionem prædicatorum scientificam. Unde si circa veritates sic connexas inter se posset Angelus dividere conceptus, et intelligere illas veritates præcise in ratione connexionis, qua una infert aliam, sine dubio discurret; cum ergo anima Christi per hoc quod habeat scientiam infusam non amittat modum connaturalem operandi ex parte potentiæ, ita quod non possit dividere conceptus, sicut Angelus, et uti speciebus illis inadæquate ex ea parte, qua manifestant veritates ratione connexionis, et non solum quatenus simplici repræsentatione illas intelligunt, manifeste deducitur, quod potest anima Christi uti vero et formali discursu per scientiam infusam.

XII. Quare repræsentatio per species non obstat discursui, si alias intellectus ipse non habeat modum intelligendi ita perfectum, quod non possit dividere conceptus, et inadæquato modo uti speciebus, sicut intellectus angelici. Si autem modus intelligendi sit talis, quod possit conceptus dividere, et inadæquate uti speciebus etiam infusis, quia lumen talis scientiæ datur in minori universalitate, quam Angelis, utpote accommodatum animæ rationali, quæ ad cognoscendum res distincte indiget lumine magis diviso, et par-

ticularizato, consequenter in tali scientia infusa relinquuntur omnia principia ut possit discurrere.

XIII. Quia tamen D. Thomas in probatione hujus discursus per scientiam infusam utitur illo testimonio Matthæi xvii, ubi Christus Dominus ratiocinando intulit: *Ergo liberi sunt filii*, oportet vim hujus testimonii expendere. Videtur enim parum urgens, eo quod non constat ex Scriptura nisi quod Christus Dominus protulit voce illum discursum; quod vero interius in mente usus fuerit discursu, non constat. Sicut etiam Deus quando loquitur homini non format discursum, licet exterius proferat illum; et dato quod Christus Dominus discursu mentali usus fuerit, unde constat, quod per scientiam infusam, et non per acquisitam illum elicerit?

XIV. Cæterum valde efficaciter utitur S. Thomas isto testimonio: nam quod Christus usus fuerit discursu vocali constat ex ipso textu de fide. Inde vero infertur, quod etiam mentali discursu usus fuerit, quia illum discursum proferebat tamquam verus homo, et non ut Deus in natura divina; ergo eo modo, quo proferebatur in voce, formabatur in mente, ut omnino conformaretur veritas mentis veritati locutionis. Neque enim aliunde poteramus colligere Christum vere discursisse in mente, tamquam hominem rationalem, nisi ex locutione; unde si in locutione discurrebat, non vero in mente, deficiebat nobis probatio, unde constaret Christum vere discursisse aliquando in mente; si enim in isto loco quamquam discurrebat vocaliter, non tamen mentaliter, eadem ratio erit de omnibus aliis locis, in quibus loquebatur cum discursu, et sic non restat nobis aliqua via ad probandum ex locutione exteriori Christi, quod vere aliquando discurrerit.

XV. Dicere autem, quod in aliis locis quando vocaliter discurrebat, etiam mentaliter, in isto vero non, est plane voluntarie dictum, et mere divinare; non licet autem sine magno fundamento proprietatem Scripturæ invertere, et cum simpliciter Scriptura dicat Christum discursisse, et illius discursum narret, non licet divertere ad solum discursum vocalem, et non mentalem. Quare recurrendum est ad secundam solutionem, scilicet quod tunc usus fuit discursu per scientiam acquisitam, et non infusam.

XVI. Sed hæc solutio multo facilius evertitur, quia conclusio illata per istum discursum fuit aliqua veritas supernaturalis, scilicet: *Ergo liberi sunt filii*, in qua conclusione juxta omnium expositiones, intendebat Christus, quod ipse, qui erat Filius Dei naturalis erat liber a tributo, et similiter Ecclesia, quæ repræsentabatur in Petro. Sed quod Filius Dei sit liber a tributo, et similiter Ecclesia ex privilegio divino, non est aliqua veritas naturalis, sed supernaturalis, cum non contineatur in principiis naturalibus; ergo conclusit per illam consequentiam Christus Dominus aliquid supernaturale: sed per scientiam acquisitam, solum intelligebat naturalia, quæ per sensus subministrantur per; scientiam autem infusam mysteria supernaturalia cognoscebat; ergo ista consequentia pertinet ad scientiam infusam, et nullo modo ad acquisitam.

SOLVUNTUR OBJECTA.

XVII. Ad fundamenta patris Vazquez. Ad primum contra rationem D. Thomæ, jam est explicata ejus efficacia.

XVIII. Ad secundum dicitur, quod conversio ad phantasmata non di-

cit meram concomitantiam cognitionis intellectus, et phantasiæ; sed coordinationem unius operationis cum alia, non tamen coordinationem dependentiæ, qua cognitio intellectus dependet a phantasmate, sed coordinationem quasi extensionis cujusdam, quatenus intellectus non sistit in repræsentatione absoluta per speciem infusam, sed ulterius per suum imperium facit formari phantasmata, ut comparative ad ipsa cognoscat, et speculetur objectum, et sic coordinatur ipsi phantasmati, non ut a quo accipiat cognitionem, sed in quem redundet cognitio, et quasi per extensionem in ipso phantasmate speculetur; sicut et superiori virtute imperante fiet redundantia in inferiorem.

XIX. Neque ex hoc sequitur posse etiam visionem beatificam fieri per conversionem ad phantasmata, quia visio beatifica est intuitiva, et quidditativa visio rei in se, unde non potest cognosci cum aliqua connotatione, aut extensione ad rem sensibilem, quia hoc ipso non plene videretur in se, cum visio quidditativa, et clara rei spiritualis, totaliter debeat esse denudata a connotatione rei sensibilis.

XX. Ad fundamenta patris Suarez, et Vazquez contra secundum punctum de discursu. Ad primum respondetur, quod per hanc scientiam Christus intelligit, sicut Angeli ex parte ipsius scientiæ, non tamen ex parte modi cognoscendi potentiæ: est enim connaturale animæ rationali uti discursu, et ideo licet elevetur ad intelligendum, sicut Angeli ex parte rei cognitæ, et claritatis cognoscendi, et repræsentationis specierum, tamen non omnino transmutatur modus connaturalis potentiæ, ut scilicet possit uti discursu, quo Angelus uti non potest, etiamsi velit, quia repugnat connaturali modo sui intellectus.

Nec tamen obligatur anima Christi ad discurrendum, quia anima nostra ita est discursiva, quod etiam multa intelligit sine discursu, unde potest perfici ad hoc, ut utroque modo intelligat, et cum discursu, et sine illo, quando non extrahitur a modo operandi connaturali.

XXI. Ad secundum respondetur, quod species infusæ habent utramque eminentiam, et simplicis repræsentationis quidditivæ, et connexionis principiorum cum conclusione, et utroque modo potest illis uti intellectus cognoscendo res evidenter, et propter connexionem, et propter simplicem, et quidditivam inspectionem; sed ulterius noster intellectus, qui est discursivus, et potest conceptus dividere, et uti speciebus inadæquate, scilicet pro ea parte, qua repræsentant evidentiam connexionis solam, et tunc formaliter discurret, quia non æque evidenter repræsentantur objecta per utrumque conceptum, seu speciem sic inadæquate applicatam, sed unum objectum accipiatur ut illuminans, et aliud ut illuminatum ex vi talis connexionis, quod est repræsentari eo modo, quo requiritur ad discursum.

XXII. Ad tertium dicitur, quod proprius modus cognoscendi hujus scientiæ infusæ, quantum est ex genere scientiæ, est sine discursu, et per simplicem intuitum; ex parte autem scientis, seu subjecti permittit discursum etiam circa objecta hujus scientiæ, quæ scibilia sunt. Et est dispar ratio inter habitum scientiæ infusæ, et habitum primorum principiorum, quod prima principia etiam ex parte subjecti excludunt discursum, quia prima principia sunt illa unde oritur discursus; unde si ipsa possint per discursum cognosci, exigent alia principia, per quæ cognoscerentur, et sic esset processus in infinitum.

At vero scientia infusa, licet ex parte scientiæ non habeat discursum, quia nec per discursum acquiritur, tamen respectu objectorum, quæ per discursum sunt cognoscibilia, quia non tollit modum connaturalem subjecti, qui discursivus est, ideo permittit quod possint intelligi per discursum talia objecta, utendo inadæquate repræsentatione specierum, et dividendo conceptus. Neque hoc est solum uti discursu secundum successionem, sed etiam secundum causalitatem, quia facta tali inadæquate applicatione, potest ex vi connexionis necessariæ unum cognosci per aliud, et non solum in vi simplicis inspectionis unum cognosci post aliud.

ARTICULUS II.

Utrum species scientiæ infusæ sint universaliores, et perfectiores quam angelicæ?

I. Sententia S. Thomæ est in articulo quarto hujus quæstionis, quod scientia infusa animæ Christi est perfectior scientia Angelorum, et quantum ad extensionem, et quantum ad intensionem: quantum ad extensionem, quia plura objecta cognoscit; quantum ad intensionem, quia clarius. Cæterum quantum ad modum cognoscendi ex parte subjecti imperfectior est, quatenus uti poterat conversione ad phantasmata et discursu. In sexto autem articulo inquit S. Thomas, quod est connaturale animæ humanæ, ut recipiat species in minori universalitate, quam Angeli, ita solum quod diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat, et sic fuerunt infusæ animæ Christi.

II. Hinc ergo nascitur triplex difficultas. Prima, quomodo species in-

fusæ animæ Christi fuerint minus universales, quam species Angelorum: secunda, quomodo fuerint perfectiores in claritate, et certitudine: tertia, quomodo se habeant erga compositionem, et divisionem cum aliis speciebus ad cognoscendas plures veritates, et præsertim ad cognoscenda singularia.

DE PRIMA DIFFICULTATE.

III. Ad primam difficultatem respondetur, quod absolute loquendo, et indistincte, sive quoad species repræsentantes res supernaturales, sive repræsentantes res naturales tamquam immediata objecta, species infusæ animæ Christi sunt minus universales, quam species Angelorum. Quæ assertio est expressa S. Thomæ hic, ut citavimus, et Thomistarum communiter, licet contradicat pater Suarez hic disput. xxix, sect. I, et adducit pro se D. Thomam in III, distinct. xiv, artic. III, quæst. iv. Sed tamen D. Thomas in hac tertia parte aperte mutavit sententiam, cum ibi determinaverit scientiam infusam distinctam per diversos habitus, et ita habuisse species magis unitas, et universales quam quælibet creatura; hic autem ex opposito fundamento conclusit oppositum, scilicet, quod habuerit species minus universales, et ideo distincta fuit hæc scientia per plures habitus, ut patet in articulo sexto hujus quæstionis.

IV. Et fundamentum hujus sententiæ est, quia quotiescumque intellectus aliquis inferior illuminatur a superiori, non illuminatur per hoc, quod elevetur ad intelligendum ita unite, et universaliter sicut superior intellectus, sed potius veritates ipsæ particularizantur, et accommodantur intellectui inferiori, ut illas possit distincte percipere, ut constat

ex D. Thoma I part. quæst. cvi, articulo primo: ergo cum intellectus animæ Christi immediate illuminetur a Deo de omnibus veritatibus, quas intelligunt Angeli, et multo pluribus, non fiet illuminatio per hoc quod elevetur modus operandi animæ Christi supra omnem modum operandi Angelorum, sed quod omnes illæ veritates proportionentur modo operandi animæ Christi attingendo illas magis divise, et particulariter, quam Angeli.

V. Neque enim est ratio aliqua, cur dicamus alias illuminationes reformari per hoc, quod veritates illuminatæ dividantur, et accommodentur capacitati, et modo intelligendi inferiori, in ista vero non sic esse factum. Et regula generalis est, quod in omnibus illis, quæ certa fide non constant, illud sit verisimilius, quod magis conforme est naturis rerum; natura autem illuminationis hoc habet, quod descendat a superiori ad inferiora accommodando veritates illuminatas modo intelligendi inferiori, non vero modum intelligendi inferiorem elevando ad modum intelligendi superiorem, hoc enim minus connaturale est. Unde si possumus in scientia infusa salvare, quod elevetur anima Christi ad cognoscendum clarius, et perfectius, quam Angeli, et plura objecta, conservando modum connaturalem operandi ipsius animæ quantum possibile fuerit, conformior veritati erit assertio. Qua conformitate ductus D. Thomas sententiam, quam tenuerat in tertio sententiarum mutavit, eo quod in istis supernaturalibus ita debemus procedere, quod quantum possibile fuerit, minus mutetur ipse modus naturalis, eo quod gratia non destruit, sed perficit naturam.

VI. Nec obstat, quod illæ species ex genere suo non dantur modo discursivo, cum tamen modus discursivo